LE DÉCRET D'ÉRECTION DU VICARIAT AUX FORCES ARMÉES EN FRANCE

(Etude comparative sur l'Aumônerie militaire)

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

DECRETUM DE ERECTIONE VICARIATUS CASTRENSIS IN GALLIA

Obsecundare votis per quae gloria Dei augeri et animarum saluti aptius consuli possit materna Ecclesia pietas ultro satagit.

Cum autem Exc.mus P. D. Mauritius Feltin, Archiepiscopus Parisien sis et Vicarius Castrensis Exercitus Gallici, expostulaverit ut pro fidelibus qui in terrestribus, aëreis et maritimis Reipublicae copiis stipendia merent, vel quomodo iis addicti sunt, Vicariatum Castrensem instituere Apostolica Sedes dignetur, SS.mus Dominus Noster Pius Divina Providentia PP. XII, praehabito favorabili voto Exc. P. D. Angeli Iosephi Roncalli, Archiepiscopi titularis Mesembriani et in Gallia Nuntii Apostolici, atque de consilio infrascripti Cardinalis Sacrae Congregationis Consistorialis Secretarii, huiusmodi institutionem perficiendam censuit.

Quapropter, suppleto quatenus opus sit eorum interesse habentium vel habere praesumentium consensu, de plenitudine Apostolicae potestatis, Vicariatum Castrensem in Republica Gallica constituit.

Vicariatus Castrensis constabit: Vicario Castrensi, tribus Cappellanis Directoribus pro copiis respective terrestribus, aëreis et maritimis, atque Cappellanis militum.

Sedes Vicariatus Castrensis eiusque Curiae erit Parisiis Officium Vicarii Castrensis Gallici obtinebit Archiepiscopus pro tempore Parissiensis, qui proinde utramque cumulabit iurisdictionem, Vicario Castrensi competit iurisdictio ordinaria, personalis tum fori interni tum fori externi.

Capellanis Directoribus munia tribuuntur quae Codex I. C. officio Vicarii Generalis adnectit, obeunda pro copiis speciatim concreditis.

Capellanis militum curam animarum Vicarius Castrensis committit.

Universidad Pontificia de Salamanca